

cadere primario & directe in subjectum, h. e. conscientiam jurantis, non in objectum vel materiam juramenti, nisi secundario & indirecte, & quidem in promissorio juramento. Hinc cum in assertorio aliquis se obstringit ad τὸ ἀληθεύειν ad verum dicendum, etsi forte ab ipso jurejurando minutissimo tempore sit distinctum, nihilominus de re futura obligatio ejus censenda est. In promissorio autem juramento res se longe aliter habet; ibi primario est obligatio itidem ad conscientiam, & secundario etiam ad materiam, ita ut jurans non solum teneatur πρὸς τὸ ἀληθεύειν, verba animo congrua proferre, verum etiam πρὸς τὸ πράττειν, id quod promisit, præstare, sic ut facta etiam verbis congruant.

§. XII. Denique unicum adhuc notamus circa translationem juramenti in genere, quod scilicet nemo se ab hac jam dicta obligatione liberare queat, quamcunque artem juramentum cavillandi, & in suum commodum interpretari invenerit. Nullum ergo liberat ab obligatione æquivocatio nec reservatio, quam dicunt, mentalis, quæ maximam partem adimplet Lojolitarum pessimos fallendi modos. *Primo* enim debet juramentum simplicissime & cum affectu intelligi. *Deinde* DEI nomen non prophanari: quod certe fit, si Deum in testem invoco veritatis verborum eorum, quæ cum eo, quod jurans in corde repositum servo, non concordant. *Tertio* juramentum omni disceptationi finem imponere debet, quæ tamen hac fraudulentia artis redintegratur & augetur. *Porro* jurans decipit sciens & volens proximum, contra quam exigitur à jurante Psalm. XV. 4. *Ne jures in dolo.* Rationes plures vide *ap. Sanders. l. c. Præl. Sexta sect. IV. V. VI.* Si vero alicui contra fas & jus aliquid jurejurando confir-

D

man-